

Seneca Retore-Controversiae-Praefatio 1-4

Exigitis rem magis iucundam mihi quam facilem: iubetis enim quid de his declarationibus sentiam qui in aetatem meam inciderunt indicare, et si qua memoriae meae nondum elapsa

sunt ab illis dicta colligere, ut, quamvis notitiae vestrae subducti sint, tamen non credatis tantum de illis, sed et iudicetis. Est, fateor, iucundum mihi redire in antiqua studia melioresque ad annos respicere, et vobis querentibus quod tanta opinionis viros audire non potueritis detrahere temporum iniuriam. Sed cum multa iam mihi ex meis desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retudert, aurium sensum hebetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit, inter ea quae rettuli memoria est, res ex omnibus animi partibus maxime delicata et fragilis, in quam primam senectus incurrit. Hanc aliquando adeo in me floruisse ut non tantum ad usum sufficeret sed in miraculum usque procederet non nego; nam et duo

milia nominum recitata quo erant ordine dicta reddebam, et ab his qui ad audiendum praeceptorem mecum convenerant singulos versus a singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum quae vellem velox mihi erat memoria, sed etiam ad continenda quae acceperat solebat bonae fidei esse: nunc et aetate quassata et longā desidiā, quae iuvenilem quoque animum dissolvit, eo perducta est ut, etiamsi potest aliquid praestare, non possit promittere. Diu ab illā nihil repetivi: nunc quia iubetis quid possit experiar et illam omni curā scrutabor. Ex parte enim bene

spero: nam quaecumque apud illam aut puer aut iuvenis deposui, quasi recentia aut modo audita sine cunctatione profert; at si qua illi intra proximos annos commisi, sic perdidit et amisit ut, etiamsi saepius ingerantur, totiens tamen tamquam nova audiam. Ita ex memoriā meā quantum vobis satis sit superest; neque enim de his me interrogatis quos ipsi audistis, sed de his qui ad vos usque non pervenerunt. Fiat quod vultis: mittatur senex in scholas. Illud necesse est inpetrem, ne me quasi certum aliquem ordinem velitis sequi in contrahendis quae mihi occurrent; necesse est enim per omnia studia mea errem et passim quid quid obvenerit adprehendam.

SUASORIARUM LIBER Deliberat Alexander an Oceanum naviget.

1. * ... sinunt: cuicumque rei magnitudinem natura dederat, dedit et modum; nihil infinitum est nisi Oceanus. Aiunt fertiles in Oceano iacere terras ultraque Oceanum rursus alia litora, alium nasci orbem, nec usquam rerum naturam desinere, sed semper inde ubi desisse videatur novam exurgere. Facile ista finguntur, quia Oceanus navigari non potest. Satis sit hactenus Alexandro vicisse qua mundo lucere satis est. Intra has terras caelum Hercules meruit. Stat immotum mare, quasi deficientis in suo fine naturae pigra moles; novae ac terribiles figurae, magna etiam Oceano portenta, quae profunda ista vastitas nutrit, confusa lux alta caligine et interceptus tenebris dies, ipsum vero grave et defixum mare et aut nulla aut ignota sidera. Ea est, Alexander, rerum natura: post omnia Oceanus, post Oceanum nihil

2. ARGENTARI Resiste, orbis te tuus revocat; vicimus qua lucet. Nihil tantum est quod ego Alexandri periculo petam. POMPEI SILONIS Venit ille dies, Alexander, exoptatus quo tibi opera desset; idem sunt termini et regni tui et mundi. MOSCHI Tempus est Alexandrum cum orbe et cum sole desinere. Quod noveram vici; nunc concupisco quod nescio. Quae tam ferae gentes fuerunt quae non Alexandrum posito genu adorarint? qui tam horridi montes quorum non iuga victor miles calcaverit? Ultra Liberi patris trophaea constitimus. Non quaerimus orbem, sed amittimus. Inmensum et humanae intemptatum experientiae pelagus, totius orbis vinculum terrarumque custodia, inagitata remigio vastitas, litora modo saeviente fluctu inquieta, modo fugiente deserta; taetra caligo fluctus premit, et nescio qui, quod humanis natura subduxit oculis, aeterna nox obruit. MUSAE Foeda beluarum magnitudo et immobile profundum. Testatum est, Alexander, nihil ultra esse quod vincas; revertere.

5. (Divisio). Aiebat CESTIUS hoc genus suasoriarum aliter declamandum esse [quam suadendum]. Non eodem modo in libera civitate dicendam sententiam quo apud reges, quibus etiam quae prosunt ita tamen ut delectent suadenda sunt. Et inter reges ipsos esse discrimen: quosdam minus, alios magis veritatem pati; Alexandrum ex iis esse quos superbissimos et supra mortalis animi modum inflatos accepimus. Denique, ut alia dimittantur argumenta, ipsa suasoria insolentiam eius coarguit; orbis illum suus non capit. Itaque nihil dicendum aiebat nisi cum summa veneratione regis, ne accideret idem quod praeceptorum eius, amitino Aristotelis, accidit, quem occidit propter intempestive liberos sales; nam cum se deum vellet videri et vulneratus esset, viso sanguine eius philosophus mirari se dixerat quod non esset

„ Ille se ab hac urbanitate lancea vindicavit. Eleganter in C. Cassi epistula quadam ad M. Ciceronem missa positum: multum iocatur de stultitia Cn. Pompei adolescentis, qui in Hispania contraxit exercitum et ad Mundam acie victus est; deinde ait: ‘nos quidem illum deridemus, sed timeo ne ille nos gladio contumeliosus...’ In omnibus regibus haec urbanitas extimescenda est.